

extiterit sententia contra communitatem dicti loci Bistagni, & ejus Agentes in favorem Agentium pro dicta communitate Aquarum, fueritque postea per dictos de Bistagno agentes contra sententiam ipsam reclamatum, & illam revideri supplicatum, prout etiam in dictis actis coram præfato Senatu agitatæ continetur, ad quæ similiter relatio, ut supra habeatur: hinc fuit, & est, quod ibidem personaliter constituti providi Gabriel de Pyzzo, Joannes Thomas de Monte, Gandulfus Fazonus, & Joannes Baptista de Omino, omnes de ipso loco Bistagni Agentes, & Procuratores pro communitate ipsius loci, ut dixerunt constare hujusmodi suæ potestatis publico instrumento fieri rogato egregio Thomæ Barberio Notario ipsius loci, pro qua quidem communitate, & hominibus dicti loci Bistagni ad abundantiam, & quatenus expediat de rato habendo, & ratificari faciendo præsens instrumentum, omniaque, & singula in eo contenta ad omnem Dominorum Aquensium requisitionem factam, & casum proprium facientes, ita quod per diligentiam etiam exactissimam nullatenus excusentur, nisi plene sequatur effectus, & implementum præsentis instrumenti promiserunt, & quilibet ipsorum principaliter, & in solidum promisit sub &c. Necnon magnificus jurisconsultus D. Scipio Carmagliarius, & spectabiles D. Joannes Baptista Avellanus, & D. Bernardinus de Ecclesia cives, & consules dictæ civitatis Aquarum volentes dictis litibus, & quæstionibus finem imponere, & se invicem pacifice concordare, & dispendia litium evitare sponte, & ex eorum, & cujuslibet ipsorum certa scientia animisque deliberatis, & aliis omnibus melioribus modis &c. per se, & eorum successoribus nomine communitatum jam dictarum, singula singulis congrua referendo, ac etiam eorum propriis nominibus deveniunt, & devenisse confessi sunt ad infrascripta pacta conventiones, & transactiones validis, & solemnibus stipulationibus ultro, citroque adhibitis in omnibus, & singulis partibus, & capitulis præsentis instrumenti singula singulis congrue referendo ut supra, & hoc tractatu medio, & interventu Ill. D. Ardicini Fa dignissimi Ducalis, & Marchionalis Senatoris, & Generalis justitiæ Capitanei in Ducatu Mantuæ &c.

Videlicet primo renuntiantes ipsi liti, & actis, ac convenientes, & paciscentes omnia in præsentis instrumento contenta perfecte adimplere sub omnium bonorum, suorum jurium, & actionum, & dictæ communitatis Bistagni, ac omnium aliarum personarum ejusdem loci obligatione, & hypotheca, quæ bona ex nunc constituunt se precario nomine possidere, donec &c. dicti Agentes pro communitate dicti loci Bistagni facientes quoque casum proprium ut supra promiserunt, ac palam, & publice, tamquam si essent in judicio coram eorum iudice competente, recognoverunt, & recognoscunt pro omni eo, in quo tenentur versus præfatam magnificam communitatem Aquensem occasione contributionum prædictarum tantum prædictis Dominis Agentibus, & intervenientibus Aquensibus ibidem præsentibus stipulantibus, & acceptantibus una secum me Notario infrascripto nomine ejusdem communitatis, ac

omnium, quorum interest &c. dare, solvere, & exbursare scuta CCCCL. auri, & in auro stampæ Italiæ, ac boni, & justî ponderis, & non in alia re, nisi id aliter procederet de voluntate Agentium pro eadem communitate Aquensi in termino scilicet annorum duorum proxime venturorum, ac in pace, & sine lite, ac omni prorsus exceptione, & contradictione remotis. Verum quia communitas prædicta Aquensis, & ejus Agentes coacti fuerunt causa, & culpa, & ex indebita contumacia hominum dicti loci Bistagni, & aliorum locorum recusantium satisfacere ipsis Dominis Aquensibus pro contributionibus assignatis, & debitis causa hospitalium militarium vendere magnifico jurisconsulto D. Oliverio Capello Casalensi partem nemoris Moirani ejusdem communitatis siti nuper finibus, & territorio ipsius civitatis sub suis notoriis confinibus pro scutis mille, quam quidem nemoris partem prædictus magnificus D. Oliverius exinde locavit dictæ Aquensi communitati, seu Agentibus pro ea, pro fictu scutorum nonaginta singulo anno ad rationem de scutis novem pro centenario, & quem fidum solvunt ne venditor re, & pretio gaudeat; idcirco dicti Agentes pro communitate Bistagni scientes præmissa vera, ut dixerunt, volentesque, ut amodo communitas dictæ civitatis interesse aliquod non patiatur culpa, & ex mora dictæ communitatis Bistagni pro rata accordii prædicti sponte promiserunt, & quilibet eorum promisit casum proprium, ut supra faciendum dictis Dominis Agentibus pro communitate Aquensi stipulantibus, ut supra in dictis duobus annis relevare dictos Agentes pro dicta communitate Aquensi, & communitatem ipsam ab ipso D. Oliverio pro concurrente summa dictorum scutorum CCCCL. ad rationem prædictam de novem pro centenario, & solvere illum fidum prædicto D. Oliverio, vel Dominis Agentibus pro ipsa communitate Aquensi, prout eisdem Agentibus pro ipsa communitate Aquensi placuerit in kalendis julii singulo anno, ac in ipsa civitate Aquensi, ac in omnibus, & per omnia, modisque, & formis, prout ipsi Domini Aquenses tenentur prædicto magnifico D. Oliverio, quæ summa fictus ascendit ad summam scutorum quadraginta cum dimidio singulo anno, & hoc maxime promiserunt dicti Agentes pro communitate Bistagni, & stipulati sunt, & acceptarunt Agentes pro communitate Aquensi, quia communitas ipsa Aquensis vendidit dictam nemoris partem cum pacto illam redimendi, idque occasione militarium onerum, ut supra dictum est, & quia ipsi de Bistagno cessant a solutione summæ prædictæ per eos debitæ, ideo non possunt Agentes pro dicta communitate Aquensi ipsam nemoris partem, ut supra venditam a prædicto D. Oliverio de præsentis redimere, ut est eorum animus. Propterea dicti Agentes pro communitate Bistagni scientes prædicta vera esse, ut supra promiserunt indemnem relevare prædictam Aquensem communitatem, & Agentes pro ea, pro concurrente quantitate principalis summæ, & fidum de quibus supra, & solvere ipsum fictum scutorum quadraginta cum dimidio omni anno ut supra. Rursus convenerunt ipsæ ambæ partes pacto legitima stipulatione vallato, quod qua-